

# DISPUTATIONIS DE INVOCATIONE SAN- CTORVM,

## THESIS I.

**I**NTER INNVMERAS ALIAS OPI-  
niones, superstitiones, & cultus humanitùs exco-  
gitatos, quos iam inde ab infelici Papatus origi-  
ne Pontificij Doctores verbo Dei ad salutem suf-  
ficienti, contra seuerissimum ipsius mandatum  
addiderunt; insignis maximè est profana illa & planè Ethnica  
Sanctorum hac vita defunctorum Inuocatio.

1. Tim. 4. v. vlt.  
2. Tim. 3. v. 15.  
Deut. 4. v. 2.  
Deut. 12. v. vlt.

## II.

Quam vt, quibus possunt rationibus, pallient, eiusq; sum-  
mam & impiam superstitionem occultent: vsitata sua eius, de  
quo potissimum controuertitur, inuersione, simplicioribus  
glaucoma (quod dicitur) obijcere, & fucum non sine cœlestis  
Veritatis dispendio, facere solent.

## III.

Neq; enim in hoc, Disputationis huius Status & Quæstio  
inter nos & ipsos vertitur; an Sanctorum demortuorum Ani-  
mæ, cum Deo & Angelis in cœlesti gloria viuentes, ab omni-  
bus grata memoria sint venerandæ, debitoque in honore ha-  
bendæ.

## IIII.

Veram namq; & piam honorandi Sanctos defunctos ra-  
tionem, vt sacræ literæ nobis præscribunt: ita neq; nos (vt Ad-  
uersarij fingunt) eandem negamus: sed Deum in Sanctis suis  
celebrandum; sanctos ipsos propter fidelem & salutarem do-  
norum diuinitùs ipsis collatorum vsum honorandos; Fidem  
deniq; & reliquas ipsorum Virtutes suspiciendas, & studiosè ab  
omnibus æmulandas esse, cum S. Scriptura docemus.

Confess. August.  
Artic. 21.  
Apolog. confess.  
pag. 206. 207.  
Psal. 112. v. 7.  
Psal. 116. v. 6.  
Hebr. 13. v. 15.  
Prouerb. 10. v. 7.